



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

VII. Refellitur Baronius, qui existimavit leges Capitularium derogare huic concessioni & investituris. Investituræ feudorum fiebant cum quadam solennitate, veluti per festucam, per ramos arborum, & ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15617

quæ formulæ electionem Episcopaliū quæ editæ sunt in tomo secundo Conciliorum Galliæ, continent verba quæ tum in usu erant quoad electiones & ordinationes Episcoporum, magnifica illa quidem pro jure Principum, sed quæ tandem gravissimos motus excitarunt in Ecclesiâ. Nam Rex in Præcepto suo ait committere se dignitatem episcopalem ei qui electus est: *Cum consilio & voluntate Pontificum procerumque nostrorum, juxta voluntatem & consensum cleri & plebis ipsius civitatis, in supradicta urbe pontificalem in Dei nomine vobis commissimus dignitatem.* Tum clerus ac populus Principem orant ut eum qui electus est, instituere dignetur in episcopatu. *Postulamus, inquit, instituere dignemini illustrem virum.*

V. At Hincmarus Remensis Archiepiscopus, cui disciplinæ canonicæ nota erant omnia, optimè admodum explicat quò referenda sit hæc Principis concessio. Nam si verba ejus paulò accuratius expendantur, manifestum erit regiam in hac materia auctoritatem ad duo quædam capita porrectam fuisse; quorum unum in eo versabatur, ut Rex electioni consensum suum adhiberet, eamque approbaret; aliud verò respiciebat facultates & patrimonia Ecclesiæ, quarum rerum administrationem Rex illi committebat. Hæc enim sunt verba Hincmari in epistola ad Ludovicum tertium Francorum Regem. *Episcopi talem eligant, inquit, qui & sanctæ Ecclesiæ utilis, & regno proficiuus, & vobis fidelis ac devotus cooperator existat; & consentientibus clero & plebe, eum vobis adducant, ut secundum ministerium vestrum res & facultates Ecclesiæ, quas ad defendendum & tuendum vobis Dominus commendavit, suæ dispositioni committatis; & cum consensu ac literis vestris eum ad Metropolitanum Episcopum & cœpiscopos ipsius diœcesios, qui eum ordinare debent, transmittatis.* Ex quibus verbis mirificè probatur id quod paulò antè observabamus, nimirum quoddam jus novum in patrimonium ecclesiasticum Regibus quæsitum fuisse, ob necessitatem assensus regij pro ordinatione Episcopi electi, & ob naturam bonorum quibus Ecclesiæ fruebatur.

VI. Concessio illa bonorum ecclesiasticorum quam Rex faciebat, & consensus electioni adhibitus, explicantur vocabulis *Laudandi & investiendi* in decreto Papæ Hadriani, quod in synodo Romana decretum est in gratiam Caroli magni. Decretum illud referètur à Gratiano cap. *Hadrianus*, dist. 63. ex historia ecclesiastica, id est, ex Sigeberto: cujus sensus hic est: *Ut nisi à Rege laudetur & investiat Episcopus, à ne-*

mine consecratur. Illustrissimus Cardinalis Baronius, ac post eum Binius, affirmant decretum illud suppositum fuisse à Sigeberto in gratiam Imperatoris Henrici, ut titulus legitimus videretur quæsitus ad propugnandum morem investiturarum, qui adversus Summos Pontifices usurpatus fuerat ab Imperatoribus. Quoad decretum verò Papæ Leonis octavi, qui Privilegij ab Hadriano concessi mentionem facit, illudque renovat in gratiam Ottonis primi Imperatoris, contendunt illud quoque esse supposititium, ac præterea Leonem fuisse schismaticum. Transversos egit illos viros persuasio hæc, investituræ non esse diversas ab electione, & jus illud esse quid extraordinarium. Attamen certissimum est Carolum magnum eo jure usum ante synodum illam Romanam. Vnde sequitur nihil in eo decreto novum esse præter juris illius extensionem, nempe ut eo uti possit in regno Italiæ, quemadmodum antea faciebat in provinciis regni Francici. Tum illud quoque novum conceditur, quòd Carolo potestas tribuitur eligendi Pontificem Romanum.

VII. Constitutiones quæ extant in Capitularibus Caroli, relatæ etiam in Decretum Gratiani, non derogant hujusmodi concessionibus & investituris, ut visum est Cardinali Baronio: quoniam nihil aliud heic præcipitur quàm ut electione cleri & plebis personæ idoneæ promoveantur ad episcopatus. Verùm illud non impedit quin post electionem, & ante ordinationem, necessarius fuerit assensus regius, itémque concessio seu investitura.

Investituræ porrò illæ, quæ effectus erant assensus regij, & concessio episcopatus, fiebant adhibitis quibusdam solennibus. Lex enim Salica, qua sola Rex utebatur, ceremonias quasdam introduxerat in quorumlibet fundorum traditione usurpandas; quæ in libris Capitularium vocantur *vestiture*, fiebantque *per festucam, per ramos arborum*, & alia similia. Quamobrem Reges nostri, quando episcopatum mittebant electo, investituram illius ei dabant *per baculum & annulum.*

VIII. Hinc factum ut antiquus scriptor vitæ sancti Romani Episcopi Rothomagensis doceat eum circa annum DCXXXIII. baculum pastoralem accepisse à Clodoveo secundo Rege, statimque in sede pontificali institutum fuisse. *Rex, inquit, convocatis tam Episcopis quàm Abbatibus, baculum illi contulit pastorem. Inthronizatur ergo pontificali apice.* Par est existimare eadem solennia adhibita in investituris Regum qui post

Vide supra cap. 15.
§. 1.

Baron. an. 776.
§. 11. & seq. de
an. 954. §. 1. &
seq.

Vide supra cap. 15.
§. 1. & seq.

Er. lib. 1. Capit.
17. Gratian. c.
Sacer. dist. 14.

Vr
ed
leg
Vn

17
L.
16
hu